DISQUISITIO HISTORICA DE PRÆPUTIO CHRISTI,

Quam
Adspirante & assistente
DEO
In
ILLUSTRI ALBERTINA
PRÆSIDE
M. MATTHÆO KUNST-
MANNO,
In Auditorio Philosophorum horis
locoque consvetis
Ad d. 14. Januarii Anno MDCLXXXVIII.
Publico submittit examini
MICHAEL MEINHARDUS
VVERNERUS,
Regiomont.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



I. N. D.

§. I.



Ræputium, uti Polus in Synopsi Criticorum ad Genes. c. XVII. 17. describit, est *pellis tegens glandem*: hæc apud Judæos masculis infantibus die post nativitatem octavo, instrumento quodam acuto separabatur, ita separata in vasculo pulvere repleto sepeliebatur, à quibusdam etiam serpenti devoranda tradebatur. Quod Judæis observatum fuisse, refert Sebastianus Munsterus in notis ad cap. 5. Josuæ: *Faciunt*, inquit, *Judæi in circumcisione tria. Primum est, quod cum novacula acuta amputant præputium: Secundum, quod relictam pelliculam digitis distendunt & retrô cogunt, ut mentulæ corona (sic enim vocant) appareat. Et hæc pelliculæ repressio infantulo longè majorem infert dolorem, quam circumcisio ipsa. Tertium est* מציצה *id est exuctio. Nam is, qui infantem circumcidit, sugit ore suo sanguinem à membro sauciato. Observant & alias stultissimas ceremonias, nempe quod adornant duas sellas, unam pro Elia, alteram, si rectè memini, pro Mose. Habent & vasculum pulvere repletum, in quo sepeliunt amputatum præputium, quod offerunt serpenti devorandum, qui totum humanum genus infecit.* Similia sunt, quæ habet Buntingius parte 3. de Pædia Domini nostri Jesu Christi Fol. 169. So viel das abgeschnittene Vorhäutlein belangen

 thut/

thut/ das hat man in ein Fäßlein gethan/ da Erden in gewesen/ und vergraben / etliche Jüden pflegens einer Schlangen zufressen geben / zur Anzeigung / daß die Schlange das gantze menschliche Geschlecht vergifftet hat. Nec ab his recedit Johannes Buxtorffius in Synagoga sua Judaica. Postquam en. varias circumcisionis Judæorum recensuisset ceremonias, pergit pag. 79. f. & 80. init. *Dum hæc loquitur* (susceptor preces fundens) *particulam præputii & quidem eousque ut glans nudata appareat, abscindit, & subito in arenam scutellæ* (quam puer manibus tenet) *projicit.* In sequentibus, nimirum p. 104. ceremoniæ hujus quasdam adducit causas. Verba ejus, quia prolixa sunt, mittimus, paucis tamen hic eas exponimus: Scilicet præputium resectum ideo in arenam projectum fuisse dicit, primò ut significaretur, semen Judæorum fore sicut arenam maris. Dein ut memoria recolerentur ea, quæ Bileamus, quum solum Israelitarum præputiis undique opertum videret, dixit, nempe: Quis dinumerare potest pulverem Jacobi? Et tertiò, ut cibarent serpentem antiquum, qui primum hominem in paradiso seduxit, ex præcepto DEI: si inimicus tuus esurierit, ciba illum pane, pulverem en. terræ esse cibum serpentis. Ita descripsimus morem Judæis receptum. Id jam potissimum inquiritur, An hic quoque ritus circa Christi præputium sit observatus? Et si non, an fuerit peculiari modo conservatum ita ut, adhuc hodie alicubi locorum haberi, & ostendi, credendum sit?

§. II. Pontificios si hic consulamus, nullus est, qui ex more Judæorum hactenus descripto cum præputio Christi resecto actum fuisse, asserat. Referunt verò

Mariam,

Mariam, matrem Domini, præputium resectum solicitè custodiisse, porrò tradidisse istud Joanni, hunc suis successoribus: iis demortuis, quia malitia creverit, fideles illud in loco mundissimo sub terra abscondisse ubi diu latuerit: post longum tempus per angelum quendam illud esse delatum ad Carolum Magnum, qui Aquis grani deposuerit, unde Carosium sit translatum, porrò Romam in Basilicam Lateranensem, inde, cum Roma à Carolo V. fuit expugnata, militem quempiam arculam, qua præputium Christi cum quibusdam aliis asservatum fuerit, surripuisse, mirabili verò modo denuo inventum præputium, in pagum, à Roma viginti millibus passum distantem, cui nomen est Calcata, adlatum, ibique adhuc honorifice asservari. Ipsamet Pontificiorum verba subjicimus. BIRGITTA l.6. Revelationum cœlestium c. 12. sic Mariam ad se de præputio Domini dixisse refert. *Maria ait: Cum filius meus circumcideretur, ego membrana illam in maximo honore servabam, ubi ibam: Quomodo enim ego illam traderem terræ: quæ de me sine peccato fuerat generata. Cum tempus vocationis meæ de hoc mundo instaret: ego ipsam commendavi sancto Johanni custodi meo cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus ejus: quando deposuimus eum de cruce: post hoc sancto Joanne & successoribus ejus sublatis de mundo crescente malitia & perfidia: fideles, qui tunc erant, absconderunt illam in loco mundissimo sub terra, & diu fuerunt incognitæ. Donec Angelus Dei illam amicis Dei revelavit. O Roma, O Roma, si scires, gauderes utique: imo si scires flere, fleres incessanter: qui habes thesaurum mihi charissimum & non honoras illum.* JACOBUS de VORAGINE in Legen-

da sanctorum, quæ vocatur Aurea Fol. mihi 13. Columnn. ult. E. habet sequentia: *De carne autem circumcisionis Domini dicitur, quod Angelus eam Carolo Magno attulit, & ipse eam Aquisgrani in Ecclesia Sanctæ Mariæ honorificè collocavit, Carolus vero illam postea fertur Carosium transtulisse, nunc autem dicitur esse Romæ in Ecclesia, quæ dicitur sancta sanctorum, unde & ibidem scriptum legitur:*

Circumcisa caro Christi, sandalia clara
Atque umbilici viget hic præcisio chara.

Eadem plane habet PETRUS de NATALIBUS in Catalogo sanctorum lib. 2. Fol. 19. ERASMUS in Annotationibus ad cap. 23. Matth. Fol. 92. ante med. *Si vir,* inquit, *sanctus* (loquitur autem de Hieronymo) *hæc sentit de mulierculis* (quæ particulas ligni de cruce Christi proferebant,) *quarum infirmitati par erat nonnihil condonare, quid dicturus si videat hodie ad quæstum ostentari lac Mariæ, quod honore propemodum æquant Corpori Christi consecrato? prodigiosum oleum, fragmenta ligni crucis tàm multa, ut si in acervum redigantur, vix una navis oneraria vehat: hîc ostentari Francisci cucullam, illic intimam vestem Mariæ virginis, alibi pectinem Annæ, alibi caligam Josephi, alibi calceum Thomæ Cantuariensis, alibi Christi præputium, quod cum res sic incerta, religiosius adorant, quam totum Christum.* SALMERO in Tom. III. Commentar. ad Biblia tract. 36. Fol. 320. B. seq. *Quærunt nonnulli,* ait, *ubi sit iste annullus circumcisionis* (ita vocat præputium,) *quem dum vixit B. Virgo diligentissimè, ut rem pretiosissimam conservasse fertur, quem antequam in cœlum ascenderet (ut fama est) B. Mariæ Magdalenæ custodiendum reliquit: postea ut Jacobus Genuen. testatur, ab Angelo delatum est ad Carolum*

Mag-

Magnum, qui annulus primò Aquisgrani, dein Carosi est custoditus: Tandem verò ejusmodi præputium ad primariam sponsam suam, id est, Romanam Ecclesiam pervenisse certa fama & traditione constat, atque Lateranensi templo in sancto sanctorum, loco sic appellato, multis seculis fidelissime, uti par est, ac ut tantum amoris Christi monimentum exigebat, ac religiosiissimè asservatum. Gemina his ex Salmerone adductis habet JACOBUS MARCHANTIUS in Rationali Evangelizantium pag. 167. A. B. *Sed quæret aliquis, quid de illo (* Christi nempe *) præputio factum fuerit? Resp. in revelationibus S. Brigittæ lib. 6. c. 12. legimus, B. Virginem S. Brigittæ revelâsse, se usque ad mortem particulam illam servasse, & tunc Evangelistæ Joanni eam tradidisse, ipsumque eandem reliquisse successoribus suis: & postmodum fideles in loco eam occulto reposuisse, in quo delituit, donec per angelum manifestata est. Est vero Romana traditio diu, fuisse in Lateranensi Basilica reservatum in loco, qui propter excellentiam & multitudinem reliquiarum vocatur sancta sanctorum. Illuc translatum à tempore Caroli Calvi ex Aquisgranensi civitate, ubi Carolus Magnus illud collocaverat sibi per angelum Ierosolyma delatum, de qua re mentionem facit Innocentius III. lib. de mysteriis Missæ. Itaque piè creditur adhuc Christi præputium in Ecclesia reservari, tanquam pignus amoris, quem in infantia sua erga humanum genus Christus testatus est, istud sibi tanto cum dolore circumcidi passus suoque cruore adspergere dignatus.* Audiamus denique FRANCISCUM TOLETUM, Cardinalem, qui quomodo præputium Christi, cum paucis abhinc seculis è Basilica Lateranensi Romæ esset deperditum, iterum sit repertum, prolixe Annotatione 31. ad c. 2. Lucæ recenset. Anno

1527.

1527. inquit, cum Roma expugnata fuit à Carolo V. miles quidam arculam è Basilica Lateranensi surripuit, in qua præputium Christi cum quibusdam Reliquiis asservabatur. Urbe a. discedens à rusticis captus deductus est ad pagum, cui Calcata nomen est, distatque à Roma viginti millibus passuum. Ibi in Cellaria quidam pro carcere detrusus thesaurum surreptum defodit. Paulo post libertate ornatus Romam revertitur, & morbo correptus in Xenodochium S. Spiritus se recipit, mortique vicinus fatetur, se istas reliquias defodisse. Id ubi Clemens VII. resciviſſet, scribit ad dominum pagi, ut diligenter requirantur. Adhibuit ille diligentiam, nec quicquam reperit. Mense verò Octobris 1557. divina providentia factum est, ut quidam sacerdos in dictis cellariis refodiens, scriniolum ex chalybe repererit: quod mox ad Magdalenam Stroiciam pagi Dominam retulit. Hæc cum illo sacerdote & Lucretia Ursina Clariceque filia octenni, aperto scriniolo vetustis panniculis sericis involutas reliquias invenit: & singulis adjuncta erant nomina, sed vetustate sic consumpta ut legi ægre possent: eas porrò honorifice componens in pelvi argentea sigillatim reponebat. Inter cœtera inventus est sacculus sericus, juglandis instar, cui inscribebatur nomen Jesus. At dum Magdalena primum filum solvere aggreditur, sentit manus rigere: mox verò eas confricat, & pergit solvere, sed magis quam ante stupescunt manus. Quare divinam sentiens hic virtutem sic Deum alloquitur: O Domine scio me peccatricem indignam, tua tangere, attamen non ex arrogantia, aut ut sacra contemnam, sed ut humiliter & honorificè conservem, id ago: sic pergit utramque manum adhibere nodo solvendo, sed mox utriusque manus digiti indurantur

instar

inſtar metalli, ita ut nec illos conjungere, nec ſacrum globum poſſent contingere. Spectaculum ſtuporem, & ſtupor lacrymas injicit abſtantibus. Tunc Lucretia: Crediderim, inquit, Sacrum Chriſti præputium contineri, de quo Clemens Pontifex conjugi meo olim ſcripſit. Hoc ubi dixiſſet, ſuaviſſimus odor è globulo illo exit, omnes admiratione & timore ſancto afficiens. Quid tandem conſilii? ſacerdos, qui aderat, iſtud ſuggerit: ut ſcilicet Clarix virguncula nodum conetur diſſolvere: ſicque Matronis in id conſentientibus mox ſine difficultate diſſolvit, ac præputium extractum in vaſculo argenteo collocat, erat autem denſum & criſpum inſtar rubri ciceris. Porro ſic voluit Deus virginitatem & innocentiam teneræ puellulæ honorare: ſed & tam matris quam filiæ manibus odor ille divinus ita inſperſus fuerat, ut per biduum durârit: In illo verò pago, Calcata, in hodiernum diem aſſervari honorifice perhibetur. H. I.

§. III. Nos nec ſententiæ Pontificiorum prolixè hactenus expoſitæ accedimus, neque etiam ex more Judæorum §. I. allegato cum præputio Chriſti factum eſſe, ulla ratione, ut credamus, adduci poſſumus. Nunquid aſſervatam fuiſſe Chriſti circumciſi præputium aſſeramus, cùm ſacra volumina hîc taceant? Lucas enim Evangeliſta Dominum circumciſum eſſe refert, pellem verò reſectam ſervatum fuiſſe, nullibi locorum in S. Scriptura facta eſt mentio. Veteres etiam hiſtoriæ omnes ſilent, ac quingentorum à Chriſto nato annorum ſpatio nullus de ea in Eccleſia Chriſtiana ſermo eſt habitus. Quid quod nec ex ſequioribus ſeculis teſtimonium fidei indubiæ produci queat. Neque en. Brigittæ revelationum, quas producunt, autoritas tanta,

quæ viros cordatos ad hoc credendum inducere aut movere possit, istæ quippe multis fabulis sunt repletæ. Ipsimet Pontificii hac re incerti sunt ac planè dubii. INNOCENTIUS III. Pontifex Romanus in lib. 3. de Mysteriis Missæ cap. 30. *Quid*, inquit, *de circumcisione præputii vel umbilici præcisione dicetur? An in resurrectione Christi rediit ad veritatem humanæ substantiæ? Creditur en. in Lateranensi Basilica reservari, licet à quibusdam dicatur, quod præputium Christi in Hierosalem delatum ab Angelo Carolo Magno, qui transtulit illud & posuit Aquisgrani. Sed postea à Carolo Calvo positum est in Ecclesia Salvatoris apud Carosium. Melius est tamen Deo totum committere, quam aliud temere diffinire.* Guilielmus Durandus iu Rational. Divin. Offic. lib. 4. de septima parte Canonis cap. 42. um. 8. postquam rem eodem ferè modo, quo Innocentius III. narravisset, subjicit: *Sic hoc verum est, mirandum est.* Baronius item, certi nihil narrationibus de præputio Christi superstite subesse deprehendit, alias in Annalibus suis quædam de eo monuisset, cum prolixius amplissimoque cum verborum apparatu de præsepi, cunabulis. fasciis aliisque reliquiis declamitet. Et rumorem nudum de præputio Christi asservato, eumque incertum esse, patet vel ex vulgari illo Historicorum asylo: Creditur, dicitur, fama est, ad quod non pauci illorum, qui de præputio Christi narrant, confugisse deprehenduntur. Qualis autem fides iis subesse soleat, quæ sive à multis dici, sive dicta ab aliis pro veris arripi solent, plusquam satis, non historica saltem, sed & ipsa quotidiana testatur experientia scilicet πολλ' ἂν γένοιτο, καὶ διὰ ψευδῶν ἔπη, *multa sunt falsa, quæ dicuntur*, ut Euripides Hel. v. 316. inquit. Quis item ita plumbeo sit ingenio, ut fraudes hîc non subodoretur. U-

na

na enim cùm fuerit pellis, quæ Christo fuit amputata, qui ergo multa in Papatu ostenduntur præputia? Siquidem id Wolffius testatur Centenar. XVI. Lection. memorabil. Fol. 233. *Charrovienses Monachi, ait, dentes, crines, etiam præputium Christi (horrescit mens præ his blasphemiis) hominibus, ut reverantur ostendunt; præputium idem Romæ etiam in templo Lateranensi asservatur. Mendacium arguit loci diversitas.* Ex hactenus dictis, constare potest, quàm nulla fides habenda sit relationi, quam ex Francisco Toleto supra adduximus. Ita sane, sententiam Pontificiorum de superstite adhuc præputio, fabulæ & vano cuidam commento non absimilem esse, manifestum est. Ex more verò Judæorum §. 1. significato cum præputio Christi factum esse, negamus moti ratione sequenti. Nimirum ritus hic à Deo non erat institutus, quandoquidem altum de eo in sacris silentium, sed erat ex traditionibus illis, de quibus ait Christus: μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων *sed frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum* Matth. 15. 9. Quis igitur asserere audeat, tali Judæorum traditioni, & ritui Christum factum esse obnoxium?

§. IV. His forsitan quidam non contentus quærat, quid tandem de præputio Christi asseritis? Ubinam est? An in auras dissipatum est inanes? Cui respondemus: temerarium esse hic aliquid velle definire, optimum verò rem omnem Deo committere. Idcirco lubentissimè hic nostrum profitemur ignorantiam, docta quippe ignorantia, quædam cum scriptura ignorare. Si tamen *in rebus*, censente ita Salmasio in epistola ad Bartolinum, *quæ in utramque partem sola ferè nituntur conjectura, debent videri veriora, quæ veris sunt similiora*, verius esse, existimamus, Christum totum illud, quod per circumcisionem à corpore decesserat, modis tamen, quos ipse compertos habet, conservâsse, & tempore resurrectionis resumpsisse.

Quam sententiam veteribus etiam placuisse, reperimus. Producimus hic Titum Bostrensis in Arabia Ecclesiæ Episcopum, qui sic ad cap. I. Lucæ scribit: *Illos qui de circumcisi præputio quæstionem movent, anxieque & curiose quid de eo factum sit, disputant, velut qui circa incerta, planeque inaccessâ occupentur, missos hic facimus. Qui diceret, ut crucis tempore, immaculatus illius sanguis una cum aqua in terram defluens, terram in quam dimanabat sanctivicavit, ita præputium per circumcisionem ablatum, terram in quam ferebatur, contactu suo sanctificâsse; is meo judicio à scopo haud procul aberraret. Utcunque res habet, certum est, qui spontè se circumcidi passus est, eum modis & rationibus, quas ipse compertas habet, totum illud, quod per circumcisionem à corpore decesserat, ita conservâsse, ut resurrectionis tempore nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis constitutionem deposcuntur, omninò desideratum fuerit, adeoque ut integer omnisque prorsus vitii, etiam quod ad hanc partem attinet, expers è mortuis in vitam redierit. Nam & nos quoque communis resurrectionis momento corpus nostrum integrum omnique ex parte perfectum recipiemus.* Tito Bostrensi comitem damus Theophylactum Acridæ in Bulgaria Archiepiscopum, qui, itidem in Comm. ad cap. 1. Lucæ, sequentia habet: *Inutiliter quæritur, ubi sit abfecta illa particula* (intelligit autem præputium Christi.) *Nam quæ Scriptura tacuit, ea quærere non oportet, præsertim ubi nulla utilitas. Dici autem posset, quod quando abfectum, terram tetigit, illam quoque sanctificâvit: sicut etiam sanguis & aqua, quæ ex latere ejus fluxerunt.* Οἷς δὲ οἶδε λόγοις ἐφύλαξε τοῦτο τὸ μόριον ἀβλαβὲς τὴν ἀνάστασιν ἀναλαβόμενος, ἐγέρθη. ἵνα καὶ κατὰ τοῦτο ἀνελλιπῶς ἔχων εὑρεθῇ. *Et videtur, quod servârit particulam illæsam, & in resurrectione iterum resumpserit, ut & hæc particula non inveniatur deesse, quippe & nos in resurrectione perfectum corpus ersumpturi sumus.*

TANTUM.